

Germina sanctarum virtutum, queis nihil usquam
 Est, homini quod sit pulchrius, & melius.
 Nam quis ubi incubuit nigræ vis dura procellæ,
 Non toto vanos exspuit ex animo
 Fastus, & stultum deponit corde tumorem?
 Ergo illa in penitis continuo exoritur
 Sensibus, illa sui contemptrix Diva, locari
 Quæ cupit extremo parva, humilisque loco:
 Sed parvamque, humilemque alti rex magnus Olympi
 In sublime manu provehit ipse sua.
 Hanc sequitur vili se se patientia panno
 Involvens, duris casibus indomita,
 Indomita, atque invicta animi, & mala cuncta ferendo
 Vincens: ut sævis obvia turbinibus
 Rupes, quam circum ponti se cæcula frangunt.
 Adde huc spem, mergi nescia quæ melius
 Confidit lapsis rebus fore, vimque Tonantis,
 Et promissa memor cogitat usque: preces
 Adde etiam castas cœli ad convexa volantes,
 Et suspirantum pectoribus gemitus
 Proruptos imis, & largo lumina fletu
 Uda vocantum altis vocibus auxilium,
 Auxilium, summi auxilium Patris implorantum,
 Si quam tam duro in tempore mittat opem.
 Atque aliquis jam terga cruento cædere flagro,
 Pectoraque infesta tundere aperta manu
 Incipit, aut lateri procusa cuspide ferrum,
 Aut Cilicum fetis horrida texta adhibet,
 Constringitque arctans: jam plenæ fercula mensæ
 Odit, nec poni dulcia liba cupit,
 Non volucrem, aut longe quæritos per mare pisces;
 Ipsa sed obscuræ frustra juvant Cereris
 Vilia, pubentesque herbæ, vescumque legumen,
 Sobriaque Albano dulcior unda mero est.

Sunt